cæteros ſanctiſſimos patriarchas miſſam, ipſi per literas proprias ſub vos metropolitis facietis manifeſtam, ut illi palam faciant ſub ſe conſtitutis epiſcopis: ut nullum lateant quæ a nobis conſtituta ſunt. Dat. Kal. Maji, CP. Imp. DN. JUSTIN. PP. A. Ann. XII. JOANNE V. C. CONS. [1].

TIT. XXIII.

UT CONSTITUTIO SACRATISSIMI IMPERATORIS DE SUCCESSIONIBUS NUPTIALIUM [2] LUCRORUM, QUÆ APÆDIÆ, ID EST NON EXSTANTIUM LIBERORUM, LUCRA INTRODUCIT, OBTINEAT IN HIS FACTIS, QUÆ ACCIDERUNT POST CONSTITUTIONEM: IN HIS AUTEM FACTIS, QUÆ IPSAM PRÆCESSERUNT, LEONIS CONSTITUTIO LOCUM HABEAT.

NOVELLA CONSTIT. LXVIII.

Antonio Contio interprete.

PRÆFATIO.

SCimus Leonis [3] piæ memoriæ conſtitutionem de his ſcriptam, qui ad ſecundas perveniunt nuptias, ſive viri ſint, ſive fœminæ, & nuptiale lucrum procreatis ex illo matrimonio liberis ſancte cuſtodientem, & eum qui ita lucratur ſolius uſusfructus dominum facientem: dominium autem illis conſervantem, & jubentem ut ſi quidem filii vel nepotes moriantur nullo ſuperſtite, per quem, qui ad ſecundas nuptias tranſiit, dominio privetur: tunc immota & ſolida apud lucrantem etiam perveniat dominii utilitas.

CAP. I.

IPſam nos nuper [4] correximus, alia quidem ſtatuentes, volenteſque ut heredes mortuorum liberorum vel nepotum, ſive parentes ſive alii quicunque ſint, habeant inde aliquod ſubſidium, lucrenturque etiam jure dominii per eorum mortem quantum ex pacto non exiſtentium liberorum erant lucraturi: reliqua vero pars ad heredes filiorum vel nepotum qui mortui fuerunt, perveniat: nihil enim a nobis occaſione uſusfructus immutatum eſt. §. 1. Hæc itaque & nunc, & in omne tempus obtinere volumus, præterquam in his filiis qui mortui fuerint ante noſtram conſtitutionem. Poſtquam enim prævenit lucrum ſolidum jam adjectum ei qui ad ſecundas pervenit nuptias, liberis ante legem mortuis, nequicquam laboraverit noſtra lex circa ea quæ lex [5] piæ memoriæ Leonis antevertens ſub ſuam redegit poteſtatem. Itaque non ſolum filiis aut nepotibus non exiſtentibus ſecure habebunt, quæ lucrati fuerunt, ſed & ſi quid eorum apud alios eſt, ſecundum jus quod dominis competit, evincent. Hæc igitur brevi lege comprehendentes, hujusmodi dubitationes tollimus, ne aſſidue ſuper cauſis moleſtiam patiamur: ſed lege hæc communi recolentes, his liberemur turbis, volentes ſervari formam quæ noſtram legislationem præceſſit, ei qui ante eam beneficio affici meruit.

EPILOGUS.

† Tua itaque excellentia quæ a nobis hac de re conſtituta ſunt in hunc modum omnibus manifeſta propriis præconiis & programmatis efficere ſtudeto. Dat. 8. Kalend. Jun. Imp. Dom. JUSTIN. PP. A. Anno XII. [6] JOANNE V. C. CONS.

TIT. XXIV.

UT OMNES OBEDIANT JUDICIBUS [7] PROVINCIARUM [8] ET IN CRIMINALIBUS, ET IN PECUNIARIIS, ET IBI NEGOTIA EXAMINENTUR, NULLO EXCEPTO PER PRIVILEGIUM: NEC HUC CONVENTI DEDUCANTUR, NISI SACRA PRAGMATICA FORMA EXHIBERI QUEMPIAM JUSSERIT.

NOVELLA CONSTIT. LXIX.

Imp. Juſt. Aug. Conſtantinopolitanis.

PRÆFATIO.

UNam quidem eſſe omnium perfectiſſimam [9] virtutem arbitrandum eſt hominibus, quæ jura omnibus diſtribuit: hæc eſt ex cauſa cognominata juſtitia [10]. Etenim unamquamque aliarum virtutum niſi [11] ſubſequantur hujus bona, fiet nihil horum quæ competunt: itaque nec fortitudinem [12] quæ non eſt cum juſtitia, laudabimus: cum ſcilicet patria [13] lingua fortitudinem [14] in armis, virtutem appellet [15] ſolum: & ſi quis ab ea juſtitiam ſubtrahat delictorum ſolummodo, non quorundam bonorum fiet occaſio, quam in noſtris provinciis intuentes contemni, lege placenti Deo eam corroborare, & ad fortitudinem decentem reducere judicavimus oportere. Plurimorum namque alii quidem literas ſacras, alii privilegia, alii pragmaticas formas, alii præcepta judicum, quidam alias ex aliis adinvenientes occaſiones ſibi peragunt peccandi: quidam in provinciis & extra eas litigare ſimulant. Qui enim in quolibet loco male patitur, aut aliquod ſuorum amittit, aut de terminis terræ litigat, aut de proprietate [16], aut de poſſeſſione, aut de hypotheca, aut de alio quocunque [17]: quomodo valebit in alio loco probationes horum quæ pertulit exhibere? hæc enim agentes, oſtendentesque potentiam ſolam & fortitudinem, ita juſte credentes talia machinantur: & hæc homines perpetrant tanquam perpetuam virtutem habituros ſe confidentes, & non reſpiciunt ad millia & decies millia exempla, quia ſero tandem & in perſonis numerabilibus ex potentibus videmus potentes procedere, & ex divitibus divites: in omne autem ævum pene ex [18] potentibus proceſſerunt inanes, ex divitibus autem pauperes: dum parum injuſtitiam ſoboles eſt ſecuta: & non cogitant neque reputant, quoniam quod ipſi quaſi per ſe machinantur poteſtatibus utentes: hoc forſan contra eos qui ex eis procreantur, agunt: non eadem potentia ſequente ſobolem, quæ illos ſequitur.

CAP. I.

HÆc [19] conſiderantes, præſentem ponere legem exiſtimavimus oportere: & præcipimus omnibus in provinciis judicibus quicunque noſtris obediunt ſceptris in univerſali ditione, & quæ occidentem ſedet, & quæ occidentem Solem, & quæ ex utroque eſt latere: ut unusquisque in [20] qua provincia deliquit, aut in qua pecuniarum aut criminum reus ſit, ſive de terra & [21] de terminis, ſive de proprietate, ſive de poſſeſſione, aut hypotheca, vel de qualibet alia occaſione: illic etiam juri ſubjaceat: (hoc enim apud legislatores præcedentes varie quidem dictum eſt, licet non pure, & ſicut nos illud conſideravimus) ut ultra terminos litigare non quærat. §. 1. Sive enim magna delicta ſint, ſive contractus conſiſtant, oportet omnibus modis ſuper eis & conventiones eſſe, & ſcripturam, ſi quas fuerit, & examinationem provincialem propter facilem probationem: ſive [illegible] ſimiliter delinquat: ſive majus adhuc peccatum ſit: quale eſt ſi nec in parvis jure potiatur, ſed expectet venire in externæ terræ provinciam: ibique eum convenire, & de talibus litigare: quem neque præſentem, neque in provincia forſan, propter virtutem illius, aut infirmitatem ſuam convenire poteſt præſentem? (quibus enim erit durius, quam læſum circa ſubſtantiam bovis, aut equi, aut jumentorum alicujus, aut pecudum, aut (ut exiguum dicamus) domeſticæ gallinæ [22], hunc cogi non [23] in qua auferetur provincia litigare, ſed alibi currere, & ibi probationes horum quæ perpeſſus eſt, [illegible] plures expenſas pati, quam rei æſtimatio eſt, aut inopiam ingemiſcentem ferre? Hinc nobis multitudo [illegible] quotidie: & crebro in talibus cauſis inquietamur [illegible] occaſionum: & [illegible] multas ſuſtinentes importunitates, & videntes plurimam quidem multitudinem virorum plurimamque mulierum ex propriis locis agitatas, & ad hanc venientes feliciſſimam civitatem: quorum plurimi etiam mendicantes & afflicti hic aguntur: interdum quoque hic moriuntur.

CAP. II.

De præſentibus reis [24].

SI igitur fuerint ambo in provincia & actor & reus, nequaquam ad aliam provinciam eum trahatur, neque ad hanc feliciſſimam civitatem, neque ex privilegio cujusquam, neque ex juſſione: ſed illic decidatur. Si vero alter quidem adeſt, alter autem abeſt: qui vero præſens eſt, ex domo ſit, [illegible] & abſens ſit ipſe qui injuſtitiam egit, ſive curator [25], ſive conductor, ſive procurator ſit ejus: & liceat ei ſecundum provinciæ ſpatium, & ſecundum legem communem antiquitus poſitam inducias accipientem, [illegible] his geſta ſunt, illi ad quem cauſa refertur. §. 1. Sed ſi quidem vicina provincia eſt in qua hoc agitur, ut in duabus menſibus [26] in medio provinciarum conſtituta: quatuor ei menſium dare inducias: ſi vero majus ſit ſpatium, ſex. Si vero ex Palæſtina forſan, aut ex Ægypto, aut ex ſpatio [illegible] longinquum, menſes octo ad hoc ſufficient. Si vero ex Heſperiis [illegible], aut Septentrionalibus, aut e Lybia: tunc quod etiam præcedentibus legislatoribus ſufficiens viſum eſt eſſe tempus determinatum, hoc eſt novem menſium: ut ille (ſi quidem ipſe injuſtitiam [illegible] credat) litem illi eam committat. Si vero aliquid aliud de illo ſpat. alium dirigat ſuſcepturum modo omnibus actionem, & completurum omnino quæ decernenda ſunt: niſi appellatio fuerit ſubſecuta, ſive in majori, ſive in minori cauſa. §. 2. Si autem ille [27] quidem nuntiet [28], ille [29] vero non ordinet [30], & ſtatutum tranſeat tempus: tanquam [31] ſirme agentem eum qui convenire eſt, & pro abſente perſona, etiam invitum repræſentet negotii cauſa apud ſuum tribunal, & cauſam examinans præſente eo [32] qui conventionem ſuſcepit, condemnet etiam eum [33] in quo obnoxius apparuerit, & inſuper illum poſt hujuſmodi admonitionem, [illegible] eum non volentem: ſi tamen omnino obnoxius [34] apparuerit, & ſi quidem locuples ſit: [illegible]

1 Id eſt, anno Chriſti 538.
2 De conſtitutione Imperatoris, quæ lata eſt de lucro ex morte liberorum contingente per pacta dotalia, Jul. *conſt.* 62. De conſtitutione ſucceſſionum in lucra nuptialia, *Index Reginæ.* 3 *l.* 6. §. 1. *C. de ſecund. nupt.* 4 *Novell.* 2. *c.* 3. 5 *d. l.* 6.
6 Id eſt, anno 538.
7 Judices hic ſunt provinciarum rectores & præſides. *Goth.* Vid. in hanc Novell. Rittershuſ. *part.* 12. *cap.* 16. Adde *Auth. qua in provincia.* Cod. *Ubi de crimine ag. oport.* [illegible]
[illegible]

l. 3. *ff. de re mil.* 21 Separari vindicationem finium a vindicatione dominii, hinc colligitur, ut *l.* 10. *C. de evict.* [illegible]
[illegible]

exigatur

exigatur quæ decreta ſunt, ſi vero minus ſit quod habet, ut non ſufficiat in iſta condemnatione: tunc & de abſentis rebus compleatur [1] victori damnum hujusmodi.

CAP. III.

De abſentibus reis [2].

SI vero neque ipſe [3] apparuerit, qui dominum litis præſentare juſſus eſt, aut, [4] qui pro eo legitime cogatur: tunc vocetur quidem legitima [5] voce, non autem obediens condemnetur & abſens, ſecundum ſchema quod appellatur eremodicium [6], id eſt, deſertæ cauſæ. Nam qui per contumaciam deſerit, in nullo minor [7] præſente putabitur. Si vero ille quidem forſan advenerit, aut miſerit quempiam, accuſator autem deſit, tunc & abſolvere eum, & damna [8] ejus mederi calumniatorem cogat, ſic erunt temperatiores: ſic peccare ceſſabunt: ſic non putabunt potentiam [9] divitiarum juſtitiæ prævalere. §. 1. Nec latet nos, quia forſan nec ſufficiat hoc ad perfectiſſimam cauſæ medelam: cum judicantes potentioribus magis quam juſtiora volentibus & ad provincias venientibus præſtent. Sed tamen novimus plurima injuſtitiarum curata ab hac legislatione, magis autem quantum ad nos eſt, totum erit ſanatum. namque non aliter tradimus cingula, niſi [10] prius jusjurandum ſubierint hæc accipientes, juſte omnibus judicare, & puras ſervare manus. Non puto poſt præſentem legem altero quolibet egebimus augmento, ſi illi quidem juſte judicent ad legem ſimul & jusjurandum reſpicientes.

CAP. IV.

De fori præſcriptione [11] *tollenda.*

ARripiat [12] autem nullus provincialibus cingulis violentos, nullo utens privilegio, aut poteſtate, aut forma: niſi [13] forte ſacra noſtra pragmatica forma occaſione publicæ cauſæ præcedens, exhibitum hic quempiam inferri præcipiat: aut ex lege hoc faciat, quale eſt ſuper appellationibus: licet etiam hoc ex multa parte curavimus, plurimos majorum judicum in provinciis appellationum conſtituentes, ut apud illos magis appellatio, quando non de maximo negotio fuerit quæſtio, quam in hac examinetur maxima civitate. §. 1. Hanc [14] dicentes juſtitiæ legem, adhuc potius faciemus eam juſtiorem, ſi nulli [15] permittamus habere contra eam quædam privilegia: neque excipi ab hac lege quolibet privilegio [16]: nec ſi cuilibet ſanctarum eccleſiarum largitum ſit, aut alicui venerabilium xenodochiorum, aut aliis venerabilibus domibus, aut alii cuilibet ipſarum domuum imperialium, aut ſacro patrimonio [17], aut ſacris privatis, quæ merito poſt [18] ſupremum honorem ſecundo loco ſunt poſita: nec ſi aliquibus judicibus, aut in potentatu poſitis, aut omnino ſub nos conſtitutis hominibus, ſed obediant omnes legi, & ſuccumbentes juſtitiæ ſanctioni, honorent [19] eam, & per omnia habeant ſortem: non ſolum in ſemetipſos reſpicientes, ſed etiam in futuras ſucceſſiones: & ſcientes quia nihil pene in ſemetipſo manet, ſed currit [20] natura, ſemper multas evolvens mutationes, quas neque prævidere facile eſt, neque prædicere: ſolummodo Deo, & imperatore ſequente Deum, hæc gubernare mediocriter & manſuete volente. §. 2. Si vero quiſquam utatur aliquibus ſacris formis, ſive pragmaticis, ſive aliis, de tali quodammodo ſibi largitis [21]: erunt omnino infirmæ, judicibus maximam [22] ſolventibus pœnam, ſi omnino ſuſceperint: & non hoc quod [23] ſit, ſolummodo meditabuntur, ſed quod etiam faciendum eſt: etenim ſi poſthac tale aliquid impetretur ab aliquibus noſtrorum ſubjectorum, aut ab alio quolibet, quibus prius interdiximus, inter quos complectimur (ſicut dictum eſt) eccleſias, & venerabilia monaſteria, & ſacras noſtras domos, & ſacra privata, & ſacrum patrimonium: neque hoc omnino valebit. Erit [24] autem hæc lex ubique ſuam juſte extendens virtutem, & ſimul quidem futura caute conſtituens, ſimul autem quod præteriit curans. §. 3. Scitote [25] igitur omnes ſubjecti, quos Deus noſtris progenitoribus & nobis donavit, quoniam hanc vobis damus legislationem, omnem vobis cautelam conferentes: & neque itinere fatigabimini longiore, neque adverſus maximos lacrimabitis: neque nos culpabitis tanquam hæc non corrigentes: ſed unusquisque de proximo reſpiciens pœnam, in quibus forte damnificatur atque læditur, & hanc curam videns, magnum & bonum laudabit Deum, qui hæc nos ſancire bene & juſte illuminavit. Sit ergo pœna talia committentibus aut ſuſcipientibus judicibus & cinguli caſus, & decem librarum auri damnum.

EPILOGUS.

† Glorioſiſſimi igitur præfecti noſtrorum ſacrorum prætoriorum, qui per omnem ſubjectam terram conſiſtunt, legem hanc cognoſcentes proponant, & per diœceſes ſub ſe conſtitutas, & in omni [26] Italia, & Libya, & inſulis, & Oriente, & quodcunque in Illyrico eſt: ut ſciant omnes, quomodo eorum curam habemus, Deo qui tanta nobis contulit offerentes legem: qui magnam nobis pro eis recompenſationem dabit, dum talia pro cauſa ſubjectorum ſalutis ſanciverimus: proponatur Conſtantinop. civibus noſtris. Dat. Kalend. Jun. *Conſtantinop.* Imp. JUSTIN. PP. Aug. Anno XII. JOAN. V. C. CONS. [27].

TIT. XXV.

UT ORDINARIÆ PRÆFECTURÆ URBANÆ [28] ET PRÆTORIANÆ DUÆ [29] ET PRÆFECTURÆ QUÆ IN CINGULO ET QUÆ [30] IN ACTU SUNT, SOLÆ, NON ETIAM HONORARIÆ LIBERENT [31] A CURIALI FORTUNA.

NOVELLA CONSTIT. LXX.

Imp. Juſtin. Aug. Joanni glorioſiſſ. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconſuli ordinario & patricio.

PRÆFATIO.

PLurima horum quæ olim ſancita ſunt, neglecta, & non facile in republica tractata, omnino viſa ſunt abſque lege & ſine legislatione conſiſtere. Novimus enim quia antiquitus erat quædam præfecturæ figura [32], quam honorariam [33] vocabant, codicillis ab imperio ſuper ea collatis: hanc autem ita nominabant, ut nihil aliud niſi purum honorem iis, quibus præbebatur, conferret, quæ curiales non liberabat a fortuna curiali, niſi quis eam ipſo [34] opere miniſtraſſet: & ſicut de glorioſiſſimis magiſtris militum videbimus, quia nullus ex magiſterio armorum eripitur fortuna curiali, niſi cum opere geſſerit, (nam & magiſterium militiæ præfecturam eſſe noſtræ dicunt leges: puri vero magiſtrorum militiæ codicilli ſolam præbent dignitatem, fortuna non liberantes,) ſic etiam in ipſa præfectura ſi futurus ſit aliquis liber hujusmodi fieri fortuna, neceſſe eſt in ipſo cingulo [35] deſignatum, ab ea curiæ vinculis liberari.

CAP. I.

REnovamus igitur hujusmodi legem, ſancientes, ſi quando viſum fuerit imperio honorare curialem, ut etiam liberet fortuna, dare ei codicillos adminiſtrationis, & præparare eum in talibus conſtitui ſedibus aut cingulis urbanæ præfecturæ ſenioris Romæ, & novæ videlicet hujus noſtræ, aut in prætorianis tribunalibus, & Orientis, & Heſperiæ [36], & Libyæ nec non & Illyrici: quos omnes ſub nobis fecit Deus: & ita libertate frui, quatenus magno promeriti honore, & in carpentis [37] vecti, & clamores præconum audientes, inſuper judiciales conſcendentes ſedes, hujusmodi fortuna liberi conſtituantur. Si vero ſolo eos participare voluerit honore, fieri quidem codicillos, & his dari: tantum vero valere hujusmodi imperialem largitatem, ut ille honoratus quidem ſit, & maximæ curiæ pars eſſe videatur: non tamen neque provinciali curia, neque ejus albo liberetur: ſed maneat ſub antiqua fortuna, ſolum lucratus honorem: & ita gratias agens Deo & imperio, quia migravit, eum ad meliora prioris tranquillitatis educens. Sitque etiam hoc additamentum imperialium præmiorum, quod neque publicum minuit, neque fortuna, neque conſuetis ei functionibus privans curialem: & ei qui hanc promeruerit, etiam præſentem addens fortunam, & oſtendens honoratiorem, & aliis curialibus dignitate ſolummodo præcedentem.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, tua celſitudo ſervare feſtinet: ſciens quia neque curiales minuimus, & honoratiores eos omnibus demonſtravimus: ut ſciant hæ civitates per tua præcepta, quatenus imperio datur. Dat. Kal. Julii CP. Imp. DN. JUSTIN. PP. Aug. Anno XII. JOANNE V. C. CONS. [38].

TIT. XXVI.

UT [39] AB ILLUSTRIBUS, ET QUI SUPER EAM DIGNITATEM [40] SUNT, OMNIMODO, SUPER PECUNIARIIS CAUSIS, SED ET INJURIARUM [41] CRIMINALITER PER PROCURATOREM DICANTUR: CLARISSIMIS AUTEM IN PECUNIARIIS LICERE EIS ET PER PROCURATOREM ET PER SE LITIGARE.

NOVELLA CONSTIT. LXXI.

Idem Imp. Juſtinian. Aug. Joanni glorioſiſſ. prætoriorum per Orientem præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

QUæcunque procedunt quidem quaſi honoris cauſa, ſchematis melioris ſunt: quod autem hinc evenit, non honorem, ſed forſan etiam quandam læſionem inferens, hoc bene habere judicavimus brevi mederi lege. Fertur enim quibusdam conſtitutionibus [42], *Ut nulli clariſſimorum liceat per ſe litem exercere, ſed per*

1 Textus meo judicio depravatus eſt & inverſus. Ideoque ne putes, actorem, quo caſu vicerit, cogi, relictis bonis condemnati, quæ in provincia, in qua delictum eſt & ſententia lata eſt, habet, abſentis rei forum ſequi, ut ſententiam exequatur. ſed hoc dici, Ex bonis abſentis in ea provincia, in qua deliquit, ſitis, victori, id quod judicatum erit, ſolvi æquum eſſe. Poſſumus & ſic interpretari, Si victori ſatisfieri non poteſt ex bonis præſentibus condemnati, poteſt victor complementum quantitatis ſibi adjudicatæ petere in eo quoque foro, in quo condemnatus degit. 2 Jul. *num.* 216. adde *Novell. Leon.* 108.
3 Id eſt, conductor. 4 H τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ νομίμως πράττοντα, id eſt, procuratorem legitime conſtitutum. 5 Τῇ τοῦ νόμου φωνῇ, voce præconis, per præconem, Jul. *hic num.* 216. Porro *vox legis* dicitur eadem forma, qua Syneſio *in epiſt.* Carnifex, manus legum. Præco etiam dicitur vox judicis: *Edicto Juſtiniani* 9. *cap.* 3. §. 4. ut qui verba judicis pronuntiet, & ſcribitur tamen in geſtis, judicem dixiſſe, non præconem: ut Auguſtinus ſcribit 3. *de trinitate*: & *de verbis Domini ſerm.* 16. adde *Novell.* 12. *in fin.*
6 Eremodicium, non eſt deſertio vadimonii, ſeu promiſſionis *judicio ſiſti*, ſed litis conteſtatæ. Qui litem deſerit, litis damno coërcetur, nec appellat. 7 Contumax atque deſertor, habetur pro præſente. Judicatur efficaciter adverſus præſentem, ergo & adverſus deſertorem litis, vid. *Nov.* 90. *c.* 9. 8 Vid. *Nov.* 53. *c.* 1. 9 Τὸ πλουτεῖν τοῦ δικαίου κρατεῖν. *Scrimg.* Divitiæ juſtitiæ cedere debent. 10 *Novell.* 8. *c.* 7.
11 Evocationibus. 12 Id eſt, nullus eripiat cognitioni judicum provincialium reos per vim. *l.* 4. *ff. ad l. Jul. de vi privata*: vel per reſcriptum, *ut hic.* 13 Reus conveniri poteſt in ea provincia, in qua deliquit, poteſt tamen reſcripto principis ex juſta cauſa impetrare, ut eximatur foro provinciali, & cauſa agatur in urbe, vel eo loco, in quo domicilium habet, vid. Jul. *hic num.* 217. eoque pacto reus ad ſe actorem reſcripto poteſt evocare. *ut hic*: ut actor e contra reum, *Novell.* 53. 14 Fori quibus præſcriptio denegatur. Jul. *num.* 218. 15 Quilibet judex in ſua provincia poteſt tam de criminalibus, quam civilibus cauſis cognoſcere 6. *Ecl.* 21. 16 Non continuo eccleſiæ, aut fiſco evocationem permitti oportet, quod ſit eccleſia vel fiſcus: ſed tunc tantum, cum id ſpecialiter & pragmatica aliqua ſanctione a principe impetraverint, *ſupr. h. t. in pr. hujus capitis.* adde Jul. *hic num.* 218. 17 Evocationes cauſarum reis conceduntur non tantum in criminalibus cauſis, ut *c.* 2. *ſ. h. t.* ſed & in civilibus, *ut hic.* 18 Sacrum patrimonium principis, resque ejus privatæ, poſt res ſacras & divinas privilegiatæ, & ita potentius eſt privilegium eccleſiæ, quam principis. 19 Honor juſtitiæ tribuendus.
20 Natura novas quotidie formas procreat: curritque ſemper multas evolvens mutationes. 21 Olim ſcilicet, ut ſit ſenſus: Privilegia evocationum hactenus conceſſa, etiam pragmaticis formis, hodie eſſe inutilia. Nullum hodie uti jure evocationis, niſi pragmatica forma hoc ſpecialiter, id eſt in cauſa, de qua agitur, a principe impetraverit, *in princ. hujus c. ſ. h. t.* 22 Maxima pœna quænam eſt? an arbitrio principis finienda?
23 Exemplis non eſt judicandum, ſed legibus, *l. nemo.* 13. *C. de ſent. & interloc.*
24 De vi & poteſtate hujus conſtitutionis, Jul. *n.* 219. 25 Si quis præſentem conſtitutionem neglexerit, Jul. *n.* 220. 26 *Nov.* 79. *c.* 2. 27 Id eſt, ann. 538.
28 Urbanæ præfecturæ ſunt præfecturæ urbis Romæ, vel urbis Conſtantinopolitanæ.
29 Orientis ſc. & Occidentis, id eſt, Italiæ, Africæ vel Illyrici. *c.* 1. *ſ. h. t.* & magiſtri militum. Jul. *hic.* 30 Εμπρακτον τιμὴν appellat in actu dignitatem, cui opponitur honoraria. ſic apud Harm. *lib.* 1. *tit.* 17. §. 12. ἔμπρακτος ἐπαρχιότης in actu præfectura, & apud autorem *Ecl.* 43. *tit.* 7. *c.* 3. ἔμπρακτοι τῶν ἐπαρχιῶν ἄρχοντες, in actu conſtituti provinciarum præſides, quibus opponuntur apud eundem autorem 60. *t.* 21. *c.* 68. οἱ μόνον τῇ ἀξίᾳ τετιμημένοι, dignitate tantum honorati. 31 Ut præfectoria dignitas Curialem liberet. Jul. *conſtit.* 64. De liberationibus decurionum, *Index Reginæ.*
32 Vide *Novell.* 38. 33 Honoraria dignitas dicitur, quoties aliquis codicillos accipit ab Imperatore: quoties ei dignitas præſtatur, quaſi prætorii præfectus fuiſſet, ſive magiſter militum. Jul. *hic.* 34 Ἐν αὐτῷ τῷ ἔργῳ, ut ſit ſenſus: In ipſo geſtu poſitus videtur, qui revera præfectus vel magiſter militum factus eſt. Jul. *hic.* 35 Τῇ ἀρχῇ. Hoc præcipue dicitur de iis, qui actu magiſtratu funguntur: nam honorarium cingulum non habent. 36 Italiæ: quatuor enim ſunt præfecturæ prætorio: Orientis, cujus ſedes Conſtantinopolis; Italiæ, Illyrici & Africæ. 37 Ἀπήνη, Carpentum. Vopiſcus vocat judiciale carpentum. 38 Id eſt, ann. 538.
39 Hujus Novellæ ſenſus hic eſt: Præfecturæ honorariæ dignitas non liberat nexu Curiæ, ſed ea tantum, quæ actu & reipſa adminiſtrata eſt. 40 De litibus eorum qui in dignitate poſiti ſunt, *Index Reginæ.* De privilegiis dignitatum ſive de procuratoribus, vide Julian. *conſtit.* 121. 41 Injuriarum actione civili & criminali illuſtres perſonæ per procuratores agere poſſunt. 42 *l.* 25. *C. de procuratoribus.*

[Bb bb] 3

procura-

procuratorem omnino. Sed hanc quidem antiquitas pro dignitatum honore ſcripſit : multos autem conſpicimus dignitates quidem adeptos , & inter clariſſimos inſcriptos , aut comites , aut tribunos , vel ſi qui alii conſiſtunt hujuſmodi : ſubſtantiæ vero minoris dominos , ut penitus non ſufficiant ad procuratores ordinandos , & propter hoc agendas expenſas.

CAP. I.

SAncimus [1] igitur usque ad magnificentiſſimos Illuſtres hæc valere , & modis omnibus eos per procuratores pecuniarias exercere cauſas : nec non etiam injuriarum per procuratorem criminali modo movere, ſecundum quod datum eſt eis ſuper hoc privilegium : ne [2] cogantur aut ſedere [3] cum judicibus cum judicant : aut ſtare [4] rurſus tanquam litigantes : ex utroque enim cauſa videtur incauta , aut dignitatibus injuriam ſuſtinentibus, aut judiciali ſchemate indigne procedente. Poſt magnificentiſſimos igitur illuſtres , omnibus licentia ſit volentibus procuratores ordinare , & per ſe lites exercere , nulla ex hoc neque prohibitione , neque pœna inferenda eis.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia , quæ viſa ſunt nobis , & per hanc ſacram declarata ſunt legem , omnibus faciat manifeſta , quæ moris ſunt ſuper his agens. Dat. prid. Non. Jun. *Conſtantinop.* Imper. DN. JUSTIN. PP. Auguſt. Anno XII. JOANNE V. C. CONS.

1 7. *Ecl.* 8. *c.* 28. 2 Cauſa hujus conſtitutionis. 3 Non eſt honeſtum, ut qui judicatur, cum judicibus ſedeat. Econtra honeſtatis eſſe non videtur , ut dignitate major ſtet coram judice inferiore. Honeſte igitur conſtitutum , ut perſonæ illuſtres , & quæ ſupra eas ſunt, in pecuniariis cauſis (& actione injuriarum , quarum vis criminaliter mota) per procuratorem omnino agant. 4 Dixi ad *l.* 3. *C. ubi ſenatores.*

COLLATIO SEXTA.

TIT. I.

UT HI QUI OBLIGATAS SE HABERE PERHIBENT RES MINORUM [1] AUT OBLIGATI SUNT EIS, AD EORUM GUBERNATIONEM PENITUS NON [2] ACCEDANT : ET CURATORES NULLO [3] MODO SUSCIPIANT CESSIONES ADVERSUS EOS, QUORUM CURATIONEM AGUNT, AUT EGERUNT : HÆC AUTEM GENERALITER VALEBUNT IN OMNI CURATIONE, IN QUIBUS PERSONIS LEGES CURATORES PRÆBENT : ET DE GUBERNATIONE PECUNIARUM COMPETENTIUM EIS, QUORUM NEGOTIA ADMINISTRANTUR : ET QUANDO EAS RECONDI AUT MUTUARI OPORTET, AUT EX EIS REDITUS COMPARARI.

NOVELLA CONSTIT. LXXII.

Imper. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconſuli ordinario & patricio.

PRÆFATIO.

OMnia quidem legiſlatori reipublicæ in magna cura ſunt, quemadmodum optime ſe habeant, & peccati nihil relinquatur : præcipue autem inſtrumenta minorum, & quæ circa eos curatio eſt , ſtudioſa [4] cura eſt eis qui proferendi leges a Deo licentiam perceperunt : dicimus autem de eo qui imperat. Multas itaque cauſas audivimus , ubi adminiſtrantibus curatoribus ceſſiones factæ ſunt adverſus minores , ſive puberes, ſive impuberes quidem , in ſecunda [5] tamen ætate conſtitutos : & mox efficiuntur eorum domini facultatum, aut non exiſtentia forſitan debita ſubeuntes, aut parvo pretio ceſſiones [6] accipientes , eorum quæ ſunt undique fragiles [7] : aut etiam celantes *deſuſcepta* [8] exiſtentia in minorum rebus, & ita ceſſiones accipientes ſecundum multas & plures occaſiones. Quid enim homo ad malitiam ſemel [9] deditus non adinveniat, ut minorum res proprias faciat ?

CAP. I.

Qui tutores vel curatores pupillo vel adoleſcenti eſſe non poſſunt [10].

HÆc omnia lege corrigere volumus , & præcipue illud , ut ſi quis obligatum [11] habuerit minorem , aut ejus res : hunc non omnino ad curationem ejus, vel ſi a legibus vocetur, accedere , quid enim non agat pro ſe dominus ejuſdem exiſtens , & adverſarii rerum detentator nuper effectus ? Propter hoc enim & illud ſancimus , ut ſi apertiſſime manifeſtum eſt, quia is qui ſit adminiſtrator, ipſe eſt juri [12] minoris obnoxius : neque [13] ipſe curator erit, necubi [14] aut cautionem [15] furetur, aut alias probationes [16] quæ erant minoris, corrumpat : & curatio fiat ei rerum interitus propriarum. Hoc itaque lege [17] tutiſſima colligetur, ut nullus eorum qui obligatas perhibent habere res defuncti , ipſumque minorem & ejus res , aut etiam qui aperte obligatus exiſtit, ad curationem ejus accedat : neque habeat licentiam tale aliquid agere.

CAP. II.

Ut [18] *tutori qui factus eſt pupilli debitor aut creditor curator adjungatur.*

SEd [19] & ſi quis jam curam [20] gerens, obligatum ſibi effectum habeat minorem, in ſe forſan hereditate [21] perlata cujuspiam, qui minorem habuit obligatum , aut alia hujusmodi occaſione : non jam ſolum eum eſſe fidelem ad impuberum aut adoleſcentium curam , ſed conjungi tutorem alterum aut curatorem , (hoc quod in plurimis legum caſibus invenimus) ut [22] cuſtodiat ille, ne fiat adverſus adoleſcentem , aut ejus ſubſtantiam , ab eo , qui eum habet obligatum , in medio [23] ulla malignitas : ſed hoc ipſum obſervet, ejusque jusjurandum [24], jurans in ordinatione , quia hoc cuſtodiet , etiam eam , quæ ex proditione [25] ad concuratorem pœna eſt , reformidans.

CAP. III [26].

Ut a tutela vel cura nullus debiti prætextu excuſetur niſi hoc probaverit.

UT autem non demus recuſationem omnibus hominibus tutelæ vel curæ, ſi dicant quia obligatas habent res adoleſcentium, aut aperte obligati ſunt, ſancimus, ſi quis dixerit obligatum ſe habere minorem, aut ejus res, hoc autem minoris parentes, mox oſtendere hoc ipſum recuſationis tempore apud eum qui dedit curatorem, & abſolvi : aut ſi incertum eſt hoc, præbeat ad ſancta eloquia jusjurandum, quia ex veritate obligatum eum ſe habere credens [27] recuſat : & ſi hoc facere fugerit, tutelam non contingere , neque curam : ſed eum ab ea re procul expelli, ne ex hoc ipſo hoſtem [28], & non curatorem adoleſcentulo præbeamus.

CAP. IV.

Si tutor vel curator ſe debitorem vel creditorem eſſe ab initio tacuerit.

SI vero tacuerit [29] in initio hoc, & tutor ſic fuerit curator : ſciat omni actione adverſus minorem, ſi vera fuerit, ſe caſurum , propter hoc quod ex ſtudio adverſus hanc noſtram legem firmetur. Sed ſi quis aperte obligatus exiſtens tacuerit, ſciat etiam iſte, quia ſuſtinebit pœnam, quod non poſſit redhibitionibus [30] aut aliis ſolutionibus debiti ſe miſcere tempore curationis forſan arte compoſitis.

CAP. V.

Ut curatores nullo modo ceſſiones ſuſcipiant adverſus minores.

QUod ſi quis (ſicuti dictum eſt) factus curator, deinde minoris res fuerit perſcrutatus, & ceſſiones in [31] ſemetipſo, aut per donationem, aut per venditionem, aut alio quolibet ſpecie modo : fciat omnino infirmum [32] eſſe quod ab eo factum eſt : & neque per ſe , neque per interpoſitam perſonam tale aliquid agi : ſed undique invalida hæc talia fieri, tanquam ſi neque ab initio facta fuerint. Manifeſtum eſt namque, quia ſi in talem cogitationem inciderit , omnia agi & diſponi ad interitum ſuæ animæ , & ad rerum, quæ ejus quaſi videntur, utilitatem.

§. 1. Et non ſolum donec fuerit curator, prohibemus eum ab hujusmodi ceſſione : ſed neque [33] poſtea gerere concedimus : ne forſan hoc conſiderans, abſcondat rem , & præordinans illud male, poſtmodum dum a cura ceſſaverit, & latere fecerit quod maligne egerit , forte jam nunc non curator exiſtens ceſſionem accipiat, & rem maligne diſponat. Tunc enim infirmum eſſe volumus quod agitur, & non poſſe ullam actionem valere ceſſam adverſus eum, cujus prius curam adminiſtraverat, ſed pro non facto id eſſe, & adverſarii fieri adoleſcentis : licet hæc ceſſio pro veris cauſis facta ſit : non ut remeet rurſus ad eum qui ceſſit, tanquam ſi nihil quaſi in medium contra legem viſum fuerit actum : ſed cadat [34] ab eis, atque ex hoc ſit quaſi propter transgreſſionem noſtræ legis , & hæc minoris lucri. Nam ſi non hanc impoſuerimus pœnam : facilia erunt ea quæ ſunt malignitatis, & qui ceſſit, faciet iterum movere : & per medium ea quæ ſunt ceſſionis , propter legem per ſuam malignitatem circumveniens. Et hæc [35] dicimus [36] in omni curatore, in quibus omnino curas aliquorum introducunt leges , prodigorum forte , aut furioſorum , aut amentium , aut ſi quid aliud jam lex dixit , aut ſi quid inopinabile natura adinvenerit.

CAP. VI.

De adminiſtratione pecuniæ pupilli vel minorum.

QUoniam [37] autem videmus curatores , quicunque Dei memoriam habent [38] , ad curam difficulter accedere [39] (nam plurimis volentibus ea quæ minorum ſunt impie in ſe vertere , amabilis [40] eſt res & appetibilis) videmus autem præcipue difficilem eſſe curatorum cauſam propter fœneratorum neceſſitatem : ſancimus nullam [41] neceſſitatem ex legibus eſſe curatoribus minorum pecunias [42] fœnerare , ſed caute [43] reponere [44] & reſervare : quoniam

1 De tutoribus, *Index Reginæ* ; adde Julianum *conſt.* 65. 2 Et ita abrogatur *l.* 8. *C. qui dare tutores*, *l.* 7. *C. de excuſ. tut.* 3 Et ita abrogatur *l.* 12. *ff. de reb. eor. qui ſub tut.* & merito id abrogatum eſt : poterant enim tutores redimere actiones, revera inutiles, adverſus pupillos ab aliquo , quas tamen utiles poterant reddere , ſubtractis pupillo apochis. 4 Id eſt, exacta. 5 Ætatum variæ ſpecies : alia prima, alia ſecunda, *ut hic.* 6 Tutori vel curatori non licet nomina contra pupillum vel adultum jure ceſſionis adquirere : ſive pretium dedit, ſive non. Jul. *n.* 222. 7 Legendum *fragilia.* Intelligit autem nomina ſeu obligationes , quibus vel præſcriptio , vel quid tale poteſt objici. 8 Deſuſcepta , ἀποδείξεις τῶν χρεῶν. *Scrimg.* 9 Semel malus, præſumitur deinceps malus : dicam ad *c. Semel malus.* 8. *de reg. jur. in* 6. 10 Jul. *conſt.* 65. *num.* 222. 11 Is, cui pupillus obligatus eſt , tutor aut curator pupillo eſſe non poteſt , quatenus lex eum vocat ad legitimam tutelam. Jul. *d. loco num.* 203. facit *l.* 8. *C. qui dare tutores.* Goth. Vide Joann. Sande *deciſ. Friſic. lib.* 2. *tit.* 9. *defin.* 1. Anſ. 12 Debitor minoris, ejus tutor aut curator eſſe non poteſt. 13 Et ita abrogatur lex 7. *C. de excuſ. tut. l.* 8. *C. qui dare tut.* 14 Cauſa hujus conſtitutionis. 15 Γραμματεῖον *Scrimg.* Kalendarium. *Hal.* 16 Ἀποδείξεις, id eſt, apochas. 17 Jul. *n.* 223. 18 Julian. *n.* 224. 19 Hinc ſumpta eſt Authentica, *minoris, Cod. qui dare tutores.* 20 Idem in tutela. Jul. *hic n.* 224. Roland. a Vall. 1. *conſ.* 83. *n.* 6. Goth. Vid. Rittershuſ. *expoſit. Nov. part.* 8. *c.* 3. & *c.* 5. 6. Anſ. 21 Tutor vel curator, ex poſt facto, (puta delatione hereditatis aliqua) creditor vel debitor pupillorum factus, non removendus eſt a tutela, ſed ei adjungendus eſt alius tutor, qui eum cuſtodiat ac obſervet. Jul. *hic.* 22 Jurare concurator datus tutori vel curatori pupillorum ſeu minorum facto creditori quid debeat. 23 Id eſt, in ipſo actu tutelæ vel curæ. 24 Vid. Roland. *ibid. n.* 6. 25 Προδοσίας ποινὴν intelligit, pœnam conſtitutam tutoribus & curatoribus male adminiſtrantibus. 26 Jul. *ibid. num.* 225. 27 Jurari ex opinione poteſt. Qualiscunque igitur ſit lis pecuniaria, tutor excuſari poteſt, olim eam oportuit capitalem eſſe, vel ſtatus, *l.* 6. §. 18. *ff. de excuſ.* vel omnium bonorum. *l.* 20. *ff. de excuſ.* 28 Præſumitur hoſtis pupilli, qui litem adverſus eum habiturus eſt. 29 Pœna diſſimulantis pupillum ſibi obligatum, & tamen ejus curam vel tutelam ſuſcipientis. adde Jul. *ibid. c.* 226. 30 Solutionibus vel commentitiis (*al.* conventitiis) liberationibus actione ſolutus eſt. Jul. *n.* 226. Porro quas *redhibitiones* hic vocat vetus interpres, *ſolutiones* Julianus Græc. appellat hic καταβολάς. 31 Julian. *ibid. num.* 222. 227. olim id tutoribus licebat, & ita abrogatur *l.* 12. *ff. de reb. eorum.* 32 Pro infecto habendum Jul. *n.* 227. ut paulo poſt Ĵ. 33 Tutor etiam depoſita tutela actiones in pupillum quondam ſuum adquirere non poteſt. Cur ita ? vid. Ĵ. *h. t.* 34 Pœnam nota tutoris aut curatoris , finita tutela vel cura actionem ementis in pupillum. 35 Jul. *num.* 228. 36 Argumentum ducitur & extenſio fit a curatore minoris ad curatorem prodigi , furioſi, amentis, & ſimilium. 37 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Noviſſime. C. de adm. tut.* vid. Jul. *hic* , *n.* 228. 38 Religioſas perſonas tutelæ vel curæ officio fungi non poſſe, hinc colligunt, niſi ſuperioris licentia accedat. vid. Alc. 3. *præſumpt.* 18. 39 Boni raro tutelas ambiunt. 40 Præſumuntur lucro potius ſuo quam benefaciendi animo duci , qui tutelam alicujus ambiunt. De qua præſumptione vid. Alc. 3. *præſumpt.* 18. 41 Olim cogebantur fœnori dare : & ita abrogatur *l.* 13. §. 1. *l.* 15. *l.* 58. §. 3. *ff. de adm. & peric. tut. l.* 24. *C. de adm. tut.* 42 *Subaudi*, ſteriles, Jul. *n.* 229. 43 Id eſt, in tuto. *Jul.* 44 Ἀσφαλῶς ἀποτίθεσθαι καὶ φυλάττειν. *Scrimg.* Licet tutori aut curatori pecuniam pupilli in tuto deponere, non fœnori occupare.

melius

melius [1] eſt eis in antiquis tutamen manere , quam uſurarum appetitione etiam antiqua [2] pecunia cadere, & periclitari quidem curatorem, ſi non mutuaverit , rurſus autem ſi mutuaverit , periculum ſuſtinere, facto forſan in debitis detrimento. Si vero ipſe ſponte mutuare voluerit , ſub [3] obligatione forte pignorum , aut ſub aliis , quæ putantur indubitatæ , cautelis : tunc habeat quidem duorum menſium per ſingulos annos [4] inducias , hoc quod leges laxamentum [5] vocant : ſciat autem mutui periculum omnino ad ſe venturum.

CAP. VII.

SI [6] vero habeat [7] reditus ſufficientes [8] , is cujus cura adminiſtratur, eos expendat. Si vero plus ſint, quam ſufficiat, quod plus eſt, reponat [9]. Quod ſi mobilis forte ejus cujus cura adminiſtratur , ſubſtantia eſt : tunc [10] illud ſolum mutuare curator cogatur , quantum ad diſpenſationem ſufficiet adoleſcenti , ejusque rebus : quod vero plus eſt, caute recondatur. Licebit [11] autem ei cum omni ſubtilitate perſcrutari , ſi aliquos forſan invenire caute potuerit reditus [12] , & comparare minori ex abundantibus [13] pecuniis , modicis functionibus publicis obligatos : venditorem vero habentes idoneum , & opulentos reditus exiſtentes : damus enim ei licentiam & hoc agere : ſcienti quia ſi quid horum neglexerit , hujusmodi emptionis ipſum reſpiciet [14] periculum.

CAP. [15] VIII.

SI [16] vero tantum ſolummodo ſit minoris aurum cujus [17] uſuræ vix eum & qui ejus ſunt paſcere , & aliquam aliam ei præbere vitæ diſpenſationem ſufficiant : tunc neceſſitatis ratio nos etiam ad hoc vocat , ut curatores reſpicientes [18] ad Deum , ita faciant gubernationem tanquam in ſuis rebus. Etenim volumus dum [19] celebratur decretum quod tradit curam ei qui ad eam accedit , etiam jusjurandum eum dicere ſacroſancta Dei Evangelia tangentem : quia per omnem pergens viam , utilitatem adoleſcentis aget , quod tamen non excipiet eum a ratiociniis [20] , neque a legis ordine , ſed cautionem [21] faciet ad rerum gubernationem , timentem ſemper circa eas , propter jurisjurandi memoriam factam. Hæc lex a nobis pro cautela ſit poſita horum qui curatoribus indigent. Si quid vero & aliud adinvenerimus , neque hoc lege complecti pigebit : ut per omnia patres [22] eorum , qui ſibi auxiliari nequeunt , exiſtamus.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia , quæ viſa ſunt nobis , edictis per provincias quibus præes, utens, omnibus faciat manifeſta : ut nullum lateant, quæ a nobis pie & pro ſubjectorum providentia ſancita ſunt. Datum Kal. Jun. CP. Imper. DN. JUSTIN. PP. Auguſt. Anno XII. JOANNE V. C. CONS. [23].

TIT. II.

DE INSTRUMENTORUM [24] CAUTELA ET FIDE, ET PRIMUM DE DEPOSITO [25], ET MUTUO, ET [26] ALIIS DOCUMENTIS PRIVATE QUIDEM SCRIPTIS, HABENTIBUS AUTEM TESTES, ET DE NON HABENTIBUS TESTES : ET DE INSTRUMENTIS PUBLICE CONFECTIS : ET DE COLLATIONIBUS MANUS PROPRIÆ SCRIPTURÆ : ET DE EXPOSITIS INSTRUMENTIS AB ILLITERATIS , AUT PAUCAS LITERAS SCIENTIBUS, ET DE NON SCRIPTIS CONTRACTIBUS : ET DE CONTRACTIBUS USQUE AD UNAM LIBRAM AURI : ET DE CONTRACTIBUS QUI IN AGRIS FIUNT : ET UT IN DOCUMENTIS ET CONTRACTIBUS FUTURIS LOCUM HABEAT LEX.

NOVELLA CONSTIT. LXXIII.

Idem Imp. Joanni glorioſiſſ. Orientalium prætoriorum præfecto , iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

NOvimus noſtras leges [27] quæ volunt ex collatione literarum fidem dari documentis, & quia quidam imperatorum ſuper excreſcente jam malitia eorum qui adulterantur documenta , hæc talia prohibuerunt : illud ſtudium falſatoribus eſſe credentes , ut ad imitationem literarum ſemetipſos maxime exercerent, eo quod *nihil eſt aliud falſitas* [28] , *niſi veritatis imitatio.* Quoniam igitur in his temporibus innumeras invenimus falſitates in judiciis multis , quorum fuimus auditores , & quoddam inopinabile ex Armenia nobis exortum eſt. Oblato namque commutationis [29] documento , & literis diſſimilibus judicatis , quoniam poſtea inventi ſunt ii qui de documento teſtati ſunt, ſubſcriptionem ſubdentes , & eam recognoſcentes , fidem ſuſcepit documentum , & quoddam hinc inopinabile occurrit , eo quod litteræ quidem ſine fide viſæ ſunt , licet examinata reſponſa verorum teſtium cum veritate concordaverunt : & hoc per fidem teſtium , quæ videtur quodammodo eſſe cauta. videmus tamen naturam ejus crebro egentem rei examinatione, quando literarum diſſimilitudinem ſæpe quidem tempus [30] facit , non [31] enim ita quis ſcribit juvenis & robuſtus , ac ſenex & forte tremens , ſæpe autem & languor hoc facit : & quidem hoc dicimus , quando calami & atramenti immutatio , ſimilitudinis per omnia aufert puritatem , & nec invenimus de reliquo dicere quanta natura [32] generans innovat , & legislatoribus nobis præbet cauſas.

§. 1. Quia igitur imperium propterea Deus de [33] cœlo conſtituit , ut [34] difficilibus imponat quæ apud eum ſunt bona & leges aptet ſecundum naturæ varietatem : propterea exiſtimavimus oportere & hanc ſcribere ſanctionem , & dare in commune ſubjectis, quos nobis Deus & prius tradidit , & paulatim ſemper adjiciet. Etenim quiddam de depoſito in ſcripto dubitatum & ad contentionem deductum invenimus, & oportet etiam omnino horum proſpicere : itaque illico nobis eſt a depoſito inchoandum.

CAP. I. [35].

De inſtrumentorum cautela & fide : & primum de depoſito , quemadmodum caute dari poteſt.

SI [36] quis igitur vult caute deponere [37], non ſoli [38] credat accipientis ſcripturæ , (hoc quod etiam in judicio quæſitum eſt , quia enim non [39] profeſſus eſt is qui ſcripſiſſe dicebatur , *ſuam eſſe ſcripturam :* magnum res habuit tumultum & ſcribere alia coactus [40] eſt , quæ viſa ſunt veluti ſimilia quidem , non tamen per omnia ſimilia , & quantum ad illam ſcripturam ſine termino cauſa permanſit) ſed is qui depoſitum dat , advocet [41] etiam teſtes , ut poſſibile eſt [42] honeſtos & fide dignos , & non minus tribus [43] : ut non in ſola ſcriptura & ejus examinatione pendamus : ſed ſit judicantibus etiam teſtium ſolatium. Etenim tales teſtificationes ſuſcipimus, quas præſentes teſtes dicant : *quia his præſentibus ſubſcripſit qui documentum fecit , & hunc noverunt.* Nam ſi invenerimus & tales quosdam teſtes non minus quam tres dignos fide exiſtentes : neque [44] talem interdicimus fidem : neque enim ut abbreviemus probationes , ponimus legem : ſed ut eſſe eas & caute eſſe faciamus.

CAP. II.

Quemadmodum ſine tabellione inſtrumentum mutui vel depoſiti caute fieri poteſt.

SEd & ſi quis aut mutui inſtrumentum , aut alterius cujuſpiam faciat, & noluerit hoc in publico confiteri , quod & in depoſito definivimus , non ex ipſo videatur credibile quod ſcribitur ſuper mutuo documentum , niſi etiam teſtium habeat præſentiam fide dignorum non minus trium [45] : ut ſive veniant , & propriis ſubſcriptionibus atteſtentur : ſive [46] alii quidam teſtificentur , *quia præſentibus eis confectum eſt documentum :* fidem cauſa ex utroque percipiat , etiam literarum examinatione penitus non repulſa , ſed ſola non ſufficiente , augmento autem teſtium confirmanda.

CAP. III.

Si [47] *literarum fides a voce teſtium diſcrepet.*

SI vero tale aliquid contigerit quale in Armenia factum eſt , ut aliud quidem faciat collatio literarum , aliud vero teſtimonia : tunc nos quidem exiſtimavimus ea quæ viva [48] dicuntur voce , & cum jurejurando : hæc digniora [49] fide quam ſcripturam ipſam ſecundum ſe ſubſiſtere. Veruntamen ſit hoc judicantis prudentiæ [50] ſimul atque religionis , ut veracibus potius pro talibus credat : & nos quidem ſecundum hunc modum exiſtimavimus oportere probari fidelia documenta.

CAP. IV.

De inſtrumentis incaute [51] *compoſitis.*

SI tamen quisquam aut deponens , aut mutuans , aut aliter contrahens, contentus ſit ſcriptura ſola ejus cum quo contrahit : in ipſo erit ut ſciat quia in illius fide totum ipſe ſuſpendit [52], & quidem quantum ex ſcriptura non ſufficiens videbitur fides , niſi [53] ſecundum noſtram legem

1 Melius eſt, ſortem impuberis vel adoleſcentis conſervari , quam uſurarum cupiditate etiam ſortem amittere. 2 Id eſt ſorte. Uſurarum cupiditate, ſors plerumque amittitur. 3 Id eſt , ſub pignoribus. 4 Uſuras annuatim datas fuiſſe , non ad menſes : denique uſuras annuas, Juſtiniani ſeculo, fuiſſe , non menſtruas, hinc colligunt. 5 Ita appellat Græc. autor & Jul. hic. Olim Tutores cogebantur nummos pupillares fœnori dare intra ſex primos menſes adeptæ tutelæ. *l.* 15. *ff. de admin. tut.* ſequentibus annis, intra menſes duos. *l.* 7. §. 11. *ff. de adm. tut.* Hodie tutor aut curator , non cogitur pecuniam pupillorum fœnori dare, niſi univerſa pupilli ſubſtantia ſit mobilis, *c.* 7. Ĵ. *h. t.* ſed ſi ſemel dederit (puta ad tempus communiter receptum, id eſt, unius anni) puto, optime ex hoc loco colligi , ad eam perpetuo fœnerandam teneri. Perpetuo : & tamen cum laxamento duorum menſium, ut quolibet anno duorum menſium ſpatium habeat, ad idoneos debitores perquirendos. Quid ſi pecunia illa uſus ſit ? nullum laxamentum ei datur, vid. 5. *Harmenop.* Id tamen paulo aliter explicat Cujac. 5. *obſ.* 12. & *cap.* 13. *de præſc. num.* 4. quem vide. duo hinc collige, Tutorem ſemel fœnerantem pupilli pecuniam teneri perpetuo eam fœnori occupare , & ita uſuras (ante redditas rationes) præſtare , laxamento tamen ei dato duorum menſium ſingulis annis, ſemel ea utentem, quamdiu non erunt redditæ rationes,uſurarum nomine pupillo obſtringi, vid. *l. qui ſine.* 38. *ff. de negotiis*, qui ſi alias neque fœnori dediſſet, neque uſus ea fuiſſet, non teneretur uſuras præſtare. Ĵ. *hic.* Quid ſi tutor eo caſu pecuniam pupillarem coram teſtibus aut judice poſtea repræſentavit, eamque teſtium ſignis obſignatam poſtea recepit : puto laxamentum ei dari duorum menſium ad eam fœnori reponendam, ut idem ſua in cauſa quod in aliena cuſtodiat. Uſus autem pecuniæ pupillaris facile deprehenditur ex circumſtantiis , velut ſi novum recensque genus monetæ, hoc eſt incognitum patri pupilli, aut cognitum quidem, ſed non multo rationes ante redditas cuſum pupillo repræſentet. 6 Jul. *num.* 230. 7 Notandum eſt hoc tutoribus & pupillis. 8 Ex reditibus (ſi ſint ſufficientes) pupilli alendi, ideoque pecunia (ſi quæ ſit pupillo) tutori ſacra eſſe debet, poteſt tamen eam fœnori occupare , *c.* 6. Ĵ. *h. t.* 9 Nota de pecunia pupillari ex reditibus ejus redacta, per tutorem conſervanda vel impendenda. 10 Nota rurſus. De pecunia pupillari fœneranda. 11 Nota tertio. De pecunia pupillari & minorum in emptionem aliquam collocanda. 12 Reditus annui in pecunia & fructibus conſiſtentes , poſſunt licite emi, nec contractus hujusmodi emptionis illicitus eſt. *Novell.* 160. *c.* 1. *ubi dixi.* 13 Ex ſuperflua pecunia Jul. *d. loco.* 14 Periculum nominum contractorum ſpectat ad tutorem. 15 Jul. *num.* 231. 16 Hinc ſumpta eſt Authentica , *Quod nunc, Cod. de curat. fur.* 17 Nota caſum ſingularem , Pupillus rem ſuam habens in ſolis mobilibus, ſi ex eorum reditibus ali non poteſt, tutor ex ſorte bona fide aliquid deminuere poterit, *ut hic :* Si poteſt ali, ſortem non attinget. Si plusquam ali, ſuperfluum deponet. *c.* 7. Ĵ. *h. t.* At ſi pupillus mobilia & immobilia habuerit , tutor mobilia tempore peritura diſtrahet. *l.* 22. *C. de adm. tut.* Ex reditibus vero & uſuris pupillum alet. *c.* 7. neutram ſortem attinget, niſi utrimque redactæ uſuræ pupillo alendo non ſufficiant *d. c.* 7. tunc enim ex alterutro poterit deminuere & magis ex ſorte mobilium, quam immobilium, *arg. d. l.* 22. Si plus quam ali poteſt , ſuperfluum deponet , ut caſu ſuperiore. 18 Cum cogitatione cœleſtis judicis. Jul. *d. loco.* 19 Antequam ſe adminiſtrationi immiſceat. Jul. *n.* 232. 20 Tutor ratione jurisjurandi non eſt ἀνεκλόγιστος. 21 Al. *cautiorem.* Rittershuſ. *expoſit. Novell. part.* 8. *cap.* 9. *num.* 4. Anſ. 22 Princeps pupillorum pater. Ideoque ſolent fiſci principis ac regis advocati & procuratores pupillis, quoties eorum cauſa tractatur & agitur, facile ſe conjungere, ut eos videlicet defendant. 23 Id eſt, anno 538.

24 De inſtrumentis, *Index Reginæ.* adde Jul. *conſt.* 66. Quomodo depoſitum caute poni ſeu dari poteſt, adde 4. *C.* 21. 25 Huc refer *c.* 1. 2. Ĵ. 26 Huc refer *c.* 3. Ĵ. *h. t.* 27 *Nov.* 49. *c.* 2. 28 Adde 1. Harmen. 6. §. 10. *l.* 23. *ff. ad l. Corn. de falſis.* 29 Permutationis. 30 Tempus efficit, ut unius ejusdemque hominis diverſæ quodammodo videantur ſcripturæ. 31 Quæ res efficiant, ut unius ejusdemque hominis ſcriptura diverſorum videatur hominum. 32 Natura generans multa innovat, *Nov.* 74. *c.* 1. 33 Magiſtratus a Deo. 34 Scopus magiſtratuum. 35 Jul. *num.* 233. 36 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si quis vult. C. qui potior.* adde 22. *Ecl.* 4. *c.* 1. & 3. Harm. 2. 37 Id eſt, alicui depoſitum tradere , vel rem cuſtodiendam committere. 38 Cur ita ? vid. Ĵ. *h. t.* 39 Id eſt, quia noluit adgnoſcere, ſuam eſſe ſcripturam : quia ſuam denegavit. 40 Negans cautionem aliquam a ſe ſcriptam, ſcribere cogitur, ut ex nova ejus ſcriptura veritas antiquioris arguatur. 41 Cautio deponenti obſervanda. 42 Quid ſi nolit depoſitum evulgare ? vid. *c.* 2. Ĵ. *hic.* 43 Vid. Jul. *c.* 66. *n.* 233. hoc neceſſitatis cauſa non datur, ſed majoris probationis gratia , *v. nam ſi.* Ĵ. *h. t.* 44 Depoſitum probari non poteſt paucioribus teſtibus quam tribus : alia tamen probatur ratione, quam teſtibus *c.* 4. *in fin.* Ĵ. *h. t.* 45 *l.* 20. *C. de fid. inſtrum.* Imo quinque : 1. Harm. 6. §. 3. 46 Nihil intereſt, utrum ſubſcripſerint teſtes, an præſentibus ipſis inſtrumentum depoſiti fuerit compoſitum , Jul. *conſt.* 60. *n.* 234. 47 1. Harm. 6. §. 4. 48 Deeſt hæc particula apud Scrimgerum. 49 Viva vox cum jurejurando ſcripturam ſuperat , *temoin paſſe lettre :* dixi ad *l.* 15. *C. de fide inſtrum.* 1. Harmen. 6. *c.* περὶ ἀγράφου. 50 Vid. *l.* 3. *C. de teſtib.* 51 Id eſt , nuda ſuſcipientis ſcriptura. 52 Ideoque incaute facturus eſt. Jul. *hic n.* 236. 53 Interpretatio eſt corrupta. Senſus hic eſt : Deponentem, accepta depoſitarii nuda ſcriptura, pendere pene ex ſola fide depoſitarii, cum is poſſit facile ſcripturam negare : ejusque ſcripturam eſſe , difficilimum ſit (propter varietatem , quæ in ſcripturis accidit *in pr.* Ĵ. *hic.*) probare, ſupereſſe tamen vel hoc divinum remedium , ut jusjurandum depoſitario deferatur.

adjicia-